



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindellicorum, 1740

VD18 10783695-002

De Feria IV. Cinerum. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39775

Novæ Observationes & Additiones ad Gavanti

Cap. IX. De Septuagesima, & Dominicis Sequentibus.

I. Gavant. pag. 91. col. 1. n. 1. -- *Deponitur in Septuagesima Alleluja bis eo cantato &c.*) Ad Vesperas Sabbati præcedentis Dominicam Septuagesimæ, sive celebretur Officium de Festo, sive de Feria, quando post ultimam Orationem pronuntiatur *Benedicamus Domino*, subnectitur à Cantoribus, vel ab Hebdomadario bis *Alleluja*, & responso à Choro *Deo gratias*, repetitur pariter bis *Alleluja*, ita usus Romanus proscripsit antiquas repetitiones dictæ vocis *Alleluja*, quæ usque ad nauseam dicta die repeteba-

tur. Reformatio hæc emanavit ab Alexandro II. testante hoc Micrologo cap. 47. ut tradit etiam Gavantus, ut videlicet ejus geminatio, addit Durandus lib. 6. cap. 34. num. 18. *ad finem præcedentis temporis referatur, & ejus dispositio luctui sequentis temporis assignetur: tum quia non decet, inquit Leo IX. Cap. Hi duo de consecrat. dist. 1. cantare Alleluja, quando Lapsus Prioplasti in Ecclesia recitatur: recitatur autem in Lectionibus hujus Dominicæ.*

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

Cap. X. De Feria quarta Cinerum.

Gavant. pag. 92. col. 1. n. 1. -- *Est privilegiata hæc Feria &c.*) Adeo est privilegiata hæc Feria, ut ei cedere debeat Festum quaecunque, etiam Patroni, aut Titularis &c. Rursus juxta Rubricam VII. de Octavis, cessant ab hac die omnes Octavæ, ita ut si aliquod Festum, quod celebrari solet cum Octava, paulo ante Quadragesimam venerit, & jam per aliquot dies factum sit Officium de ejus Octava, adveniente Quadragesima, adeoque hac Feria IV. Cinerum, nil amplius sit de ea, nec Commemoratio: si autem dies Octavæ cadat in prædictam Feriam IV. Cinerum, quid, & quomodo agendum sit in pridianis Vesperis, satis innuimus supra in nostris Observationibus ad Cap. 2. Sect. 6. de Antiphonis majoribus Adventus, & etiam alibi, nempe in Observationibus ad Cap. 8. Sect. 3.

Quia tamen aliqui ex speciali privilegio celebrant aliquod Festum cum Octava etiam in Quadragesima, v. g. Benedictini de S. Benedicto, & de S. Scholastica, ut alibi diximus, debemus hoc loco mentionem facere Decretorum editorum 24. Januarii 1682, quæ dantur in nostro Indice sub numeris 123. & 124. in quibus statuitur, quod qui habent privilegia celebrandi Octavas in Quadragesima, non ideo debent facere Commemorationem in Feria IV. Cinerum, & quod prædicto Officio Feriæ IV. Cinerum relinquendo Commemorationem Octavæ, debent dicti privilegiati dicere Preces, Psalmos Graduales &c. quodve in Decr. S. R. C. de die 23. Junii 1736. in una Einsliten. declaratur etiam pro Dominicis primæ Classis Quadragesimæ in die vel infra Octavam occurrentibus, & datur in nostro Indice sub n. 325.

Cap. XI. De Dominicis Quadragesimæ.

caret novis Observat. & Additionibus.

Novæ